



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Fasti Mariani

Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Catharina Senensis V. 29. Aprilis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

gularem hausisse persuasum. Nam & in secreto humanorum pectorum mentis obtutum figebat, & morbis cujuscunque generis medicinam de caelo parabat. Habebat Sanctius in vinculis Alphonsum fratrem Hispaniæ regem, cujus libertatem cum HVGGO supplex à fratre postulasset, D. Petrus cœnobitiæ cuiusdam indicavit, HVGONIS apud Deum preces momentum habuisse, Sanctioque deinde conspicuus Alphonfi dimittendi mandatum dedit. Episcopo linguæ ad petulantiam sermonis expeditæ vaticinatus est, post mortem tumente ac obfuso pustulis ore Manes ejus levitatis confessionem edituros. Spectro deinde effatum probante, indicto in dies septenos monachis silentio, constitutâ ex contrario medicinâ, flammis purgantibus reum exemit. Sub exitum Deipara cum D. Petro HVGONI adfuit. Eodemque tempore Fulgentius Abbas duos Angelos vidit in astra geminum lectulum molientes, quorum alterum HVGONI, alterum Anselmo Cantuariensi Pontifici dicerent stratum. Et nunc ambo quàm molliter cubant! ridentque nos, qui, ut S. Augustinus loquitur, volutari malumus in carne & sanguine. *Ex Hug. Clun.*

*Si de omni vel otioso verbo, quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicij, quantum districtius de verbo mendaci, mordaci, injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio vel detractorio judicabuntur? S. Bern. l. de tripl. Cust.*

S. CATHARINA SENENSIS V.

29. Aprilis.

CATHARINA ut primû fari potuit, scilicet percreptans ad singulos gradus Angeli verbis MARIAM salutavit. Quid jam mirum, si his gradibus



bus ipsum sanctitatis culmen conscendit? Anno  
 ætatis septimo CHRISTO, quem supra D. Domini-  
 ci ædem conspicuum habuit, se sponsam, ille, con-  
 ciliante Matre aliisque Cælitibus, Sponsam se ob-  
 tulit CATHARINÆ. Itaque sæpiusculè jam ad eam  
 invisere, non raro personatus mendicus amorem  
 probare, & stipem deinde datam è cælo multis  
 laudare. Addixerat se feminæ fœdo carcinomate  
 laboranti, nec jam stipendium alium præter calu-  
 mñas ferebat. Subtristi eam ob causam nonnihil  
 ecce CHRISTVS adest, geminam manu coronam  
 prætendens, hanc auro, illam spinis rigentem, ju-  
 betque optionem facere, illa non nescia, quâ Spon-  
 sus corollâ ornatus esset, spinas invadit, jamque  
 melius animata impensius pergit servitutem ingra-  
 te servire; quin, ut Sponso se probaret, ex ipso ul-  
 cere pus exigit. Meruit hæc sitis alterum hau-  
 stum, quem ex latere suo dilectæ CHRISTVS pro-  
 pinavit. Illa ab hæc ambrosiâ jam ebria porro ausa  
 est petere, cor amans sibi haberet. Superi, quis fi-  
 dem daret! nisi amor hominum tam obnoxios  
 vos sciremus? Aufert CATHARINÆ cor CHRI-  
 STVS, & suum reponit. Tunc profectò expleto a-  
 mantium voto, CHRISTVM CATHARINA cor  
 suum: suum CHRISTVS CATHARINAM vocare  
 potuit. Ex Surio.

*Difficile imò impossibile est, ut & presentibus quis  
 & futuris fruatur bonis; ut & hęc ventrem & ibi  
 mentem impleat; ut de delicijs transeat ad delicias;  
 ut in utroque seculo primus sit: ut & in celo & in  
 terrâ appareat gloriosus. S. Hieron. Epist. 14.*